

## ARTÍCULO XXIV

LA DOCTRINA DE STO. TOMÁS DE AQUINO ES CONTRARIA

AL DOGMA DE LA INMACULADA CONCEPCIÓN?

*Doctrina et mens Sancti Thomae quoad immaculatam Virginis conceptionem* (1). Juvat quod ad trutinam revocetur, non quasi quid novum vel singulare hac de re indicari velit, praeter id quod usque nunc a multis hinc inde est expositum, sed quo studiosus amor et addictionis cultus erga S. Thomam fiat, quoadusque licet, relate quidem ad veritates sive theologicas sive philosophicas, impensior ac semper securus maneat. Opportunius igitur distincte exponetur doctrina imprimis, ac deinde Angelici ipsius mens.

*Doctrina favorabilis dogmati*, a tanto quoque Doctore exponitur sane, et 1.<sup>o</sup> quidem *expressis verbis* in 1. Sent. de 44. q. 1. a. 3. docente: «Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit.» Item 2.<sup>o</sup> *implicitè* hoc docet in 1. 2.<sup>æ</sup> q. 82. a. 5. asserens quod «oportebat ut Mater Dei maxima puritate niteret; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Ps. XCII. 5: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*» Et ubi ait in Qq. disp. de verit. q. 24. a. 9: «Dona gratiæ non sequuntur ordinem naturæ de necessitate, et ideo quamvis humana natura non sit angelica dignior, tamen alicui homini collata est *major gratia quam alicui Angelo*, sicut B. Virgini et homini Christo. Confirmatio autem in bono B. Virgini competebat, quia Mater erat Divinæ Sapientiæ, in qua nihil inquinatum incurrit, ut dicitur Sap. VII.» Et 3.<sup>o</sup> *æquivalenter* in Comm. in

(1) Cino Crosta, Theologia Dogmatica, Romæ, 1901. volumine tertio página 188., et seq.

Salut. ang.: «...excedit angelus quantum ad puritatem; quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec originale (1), nec mortale nec veniale peccatum incurrit; item quantum ad poenam... *Inmunis fuit ab omni maledictione et ideo benedicta in mulieribus*, quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et janam Paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen *Maria*, quod interpretatur *Stella maris.*» Item in Comm. in Ps. XVIII. «Corpus suum posuit (Dei Filius) in sole, i. e. in Maria, quæ nullam habuit obcuritatem peccati.» Cf. etiam 3. p. q. 27 a. 5, et 3. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. sol. 3.

*Antilogiæ seu testimonia dogmati contraria*,—saltem apparenter, citantur pleraque et sunt: «Beata Virgo in peccato originali fuit concepta» (2). «Caro Virginis concepta fuit in originali peccato» (3). «Oportuit quod cum peccato originali conciperetur, utpote quæ ex utrius que sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur, ut Virgo conciperet Filium Dei. Similiter etiam quia, si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor quod derogat dignitati Christi» (4). «Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam» (5). «Santificatio B. Virginis non potuit esse decen-

(1) Ad rem notat cl. Morgetti (Maria, nella dottrina di S. Tommaso d'Aquino pagg. 95. 96. ed. 1882) quod sette codici diversi de più antichi e migliori (alcuni del secolo XIII) che il diligente raccoglitore Uccelli ha confrontati, danno quasi tutti d'accordo il luogo citato colla seguente variante: ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit... Anche gli antichi difensori dell'Immacolata Concezione, Gio. di Segovia, S. Leonardo da Porto Maurizio, Bernardino de Bustia, Pietro Canisio, Salmeron, Sfondrati ed altri citano questo passo; ed il Minorita Pietro di Ala accusa addirittura di falsificazione gli editori romani delle opere di S. Tommaso. Cfr. supra n. 338. not.

(2) 3. Sent. d. 3. q. 1. sol. 1.—(3) 3. p. q. 14. a. 3. ad 1. um.—(4) Op. 3. Comp. theol. c. 224.—(5) 3. p. q. 27. a. 2. ad 4. um.



ter ante infusionem animae, (t) sed nec etiam in ipso instanti infusionis» (2).

S. Thomae mens quoad dogma—igitur, si vera sunt utrinque ejusdem doctrinae exposita testimonia, vix aut ne vix quidem poterit ex solis ejusdem verbis sic nude sumptis colligi. Quod adeo verum est ut de hac Angelici mente iter Theologos quatuor, ad minus, dentur, diversae sententiae; quas sic recenset cl. Hurter: «Prima statuit, d. Thomam immaculato conceptui adversari, quod tumentur plerique (saltem definitione vetustiores) qui proter d. Thomae auctoritatem hanc veritatem tamdiu negarunt. Secunda contendit d. Thomam immaculatam Virginis conceptionem docere: locos vero (circa 15), in quibus contrarium adstruere videtur, plus minusve corruptos censet. Tertia statuit, d. Thomam sibi non satis in hac quaestione constitisse; cum negari nequeat, aliquoties eum dogmati favere catholico, aliis vero in locis illi adversari: Quarta censet, d. Thomam vel non adversari doctrinae catholicae, vel saltem in testimoniis objectis certa ratione probari non posse» (3).

Tentanda S. Thomae apologia.—Quoniam ex adductis sententis prima tantummodo adaequate ceteras excludit, hae autem tres posteriores sibi metipsis non contradicunt, saltem omnimode, nullus profecto nos aliosque de inscitia aut de tempore casu arguet, si quid de mente S. Thomae apologetice proponimus. Sane 1.<sup>o</sup> ex hoc solum capite aditum praeccludere huic apologiae, quia nimirum, succumbente, hoc saltem in dogmate, S. Thomae auctoritate, illa

(1) Ib. in c.—(2) 3. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. qu. 2. sol.

(3) Hurter l. c. n. 645, qui huic quartae sententiae subscribit n. 648, nec sane desunt alii bene docti, qui itidem sentiunt. Cf. cl. Morgott l. c. pag. 89, ubi citantur pro eadem ex antiquis Vega, Eichovius, Nierenberg, Silveira, Stondrafi, Tyrsius Gonzalez, Steph. Chiesa, Piazza; et ex hodiernis, Spada, I. B. Malou, et Cornoldi in opus. Sententia S. Thomae Aq. de immunit. B. V. a pecc. orig. labae; quibus adde Perrone, Gaude, Schatzleus aliosque (ibid. pag. 100).

Ecclesiae, quae sola est infallibilis, praeacceptabilior evadit, certe minus sapienter dicitur: neque enim oportet, neque juvat, ampliores favores procurare infallibili Ecclesiae, per ostensionem amplissimae erroris maculae, quae invenitur in eo, cujus opus maximum, *Summam Theologicam*, ipsum Concilium Tridentinum, dum quidem excipiebat B. Virginem e censu hominum, quos peccato originali infectos omnes declaraverat (supra n. 341), velutis testem confirmantem proprias declarationes, una cum SS. Scripturis coram suis omnibus Patribus habere voluit. Ceterum 2.<sup>o</sup> idem ipse est Thomas, de quo Jesus Dominus testari dignatus est; «bene scripsisti de me, Thomas»; nec dabit sane ullus ly «de me» excludere matrem Mariam, qui noverit Mariam esse omnino cum Jesu: ipse 3.<sup>o</sup> de quo Benedictus XIII testatur in Breve «Demissis precibus» a. 1724: «S. Thomae opera, sole clariora, sine ullo prorsus errore conscripta» fuisse. Neque 4.<sup>o</sup> quis dicat periculosum imo et damnicum esse invehere hac de re hermenticas verborum S. Thomae explicationis, quasi nempe per id ceteri induci possint in falsa judicia, vel de S. Doctoris stylo quasi perquam lucidus non sit, vel de mente, quasi scilicet aliquando sit confusa, vel de licetate ipsum traducendi quomodocumque quis velit ad propria placita, et ita porro. Namque patet a), vel in nolint hi vel illi, Angelicum in verbis oris lucidissimum ac facillimum esse semper aut fere semper, in verbis mentis, h. e. in conceptibus fecundissimum et profundissimum esse inter omnes, solo fortasse Hipponensi Doctore excepto; b) nosse autem omnes de mente S. Thomae hinc inde fere ubique, etiam dum omnino non oportet, disputare Doctores; tandem c) heic non agi de traducendo S. Doctore ad arbitraria placita, sed de defendenda, si potest, ejusdem fide personae, in re tam magni momenti et in se (data divina revelatione, de qua nunc dubitare non licet) omnino perspicua. Deinde d) si principia ipsa doctrinae S. Thomae, aliud ponunt quam verba quaedam, quae forte protulit atque, non ab



omnibus tamen, declaratoria censentur; quare non putabitur bene impensus labor iste apologeticus?

*Principia S. Thomae*, vero, quae scitentur ex eius operibus, quaeque respiciunt quaestionem praesentem, haesarta tectaque sunt: 1.<sup>o</sup> *Christus solus sic immaculatus* est, qui non solummodo peccatum non contraxit, sed neque contrahere debuit aut potuit (Vol. II. n. 692): ceteri *omnes* maculam originis contrahere *debuerunt ac debent*, nec B. Virginē excepta; unde vere *omnium Redemptor* solus est Christus Dominus. 2.<sup>o</sup> In peccato autem originali quod omnes contrahere debent, qui naturali generatione ab Adam descendunt, tanquam *formale* habetur privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subdebatur Deo; omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quidam *materiale*; haec autem alia inordinatio virium animae communi nomine potest dici concupiscentia (1. 2 d. q. 82. a. 3). Inde quis posset intelligere dari liberationem (sicut in baptizatis), aut praeservationem a culpa originali quoad *formale* ejusdem, et non quoad *materiale*. 3.<sup>o</sup> Nullum peccatum, neque originale, proprie subiectatur in carne seu in corpore; admitendum tamen, quod peccatum originale *instrumentaliter*, seu *virtute*, dici potest esse in carne seu corpore (cf. praesertim Qq. disp. de Malo, q. 4. de pecc. orig. d. 3; et e. Sent. d. 31. q. 1. a. 1. 2 um). 4.<sup>o</sup> Aliud est nativitas proprie dicta, seu *nativitas ex utero*, alia *nativitas in utero*, seu conceptio. 5.<sup>o</sup> Alia est naturalis conceptio *activa*, alia *passiva*; unaque ab alia tempore quoque separatur (2). 6.<sup>o</sup> In ipsa, conceptione passiva, h. e. in *animatione* foetus, datur *prioritas et posterioritas na-*

(1) «Nasci de matre est in lucem prodire; in matre nasci est ipsum concipi», S. Thomas exposit. in Matth. c. I. Cl. 4. Sent. d. 42. q. 1. a. 2. 1 um.

(2) Quamquam *verbaliter* haec distinctio non invenitur apud S. Doctorem, qui verbum *conceptio* adhibet solum in sensu *conceptionis activae*; tamen *res* ista haec distinctio, sicut et successio temporis in conceptione communi, pluries indicatur ab eodem. ex. gr. 3. p. q. 33. a. ad 3 m; q. 35. a. 1; 1 p. q. 118. a. 2. ad 2 m; C. Gent. 1. 2. c. 89; Qq. disp. de Mot. q. 3. a. a. 9 m; de Anima q. 11. 1 m. etc.

*turae*, quae in aliis bene multis optime est distinguenda, 7.<sup>o</sup> Peccatum originale proprie dictum tunc solum contrahitur, cum per infusam in foetu naturaliter procreato animam rationalem, constituitur individuum humanum (Vol. II. n. 686-697).

*Ex principis conclusiones*—haec itaque, ni fallimur, quoad praesentem quaestionem optime derivantur. 1.<sup>a</sup> Ex eo quod *conceptio Virginis contraponitur Christi conceptioni*, non ideo negatur B. Virginem immaculatam fuisse; illa Christi fuit ex natura sua immunis a peccato originali, quia fuit *de Spiritu Sancto* conceptus, haec Mariae fuit *exempta* tantummodo a peccato originis, utpote quae *de Adam*, h. e. naturali ratione effecta est; ideoque peccatum inde trahere debuisset, nisi privilegiali ratione veluti praecipua fuisset 2.<sup>a</sup> Item ex eo quod eadem B. V. *redempta* dicitur *a Christo*, non ideo affirmatur eam contraxisse maculam originis; si enim non *contraxit maculam*, id fuit quia Christi redemptio ad Mariam sese extendit privilegio *praeservationis*. 3.<sup>a</sup> Ubicumque *caro* vel *corpus* Virginis dicitur in peccato conceptum, non statuitur B. Virginem habuisse peccatum originale *proprie dictum* (1), quod est in anima rationali, et non in corpore, quod, quia ex Adam conceptum, dicitur habere *instrumentaliter* peccatum originis. 4.<sup>a</sup> Optime praedicatur B. Virginis *nativitas* (ex utero) sancta, non item ejusdem *nativitas in utero*; quae si *activa* intelligatur nihil vetat quod et definitur fuisse in peccato, potius quam sancta (utut sancti B. Virginis parentes), utpote a concupiscentia haud praescindens, se habens et contra ad modum *cujusque* alterius conceptionis. 5.<sup>a</sup> Ast, si consideretur tantummodo conceptio passiva, dicendum, quo *prius natura* quam sanctificatio habetur caro maculata (improprio sensu) et animae infusio; *postea* (ad-

(1) In 3. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. qu. 1. ubi dicitur: «*Beata Virgo* in peccato originali fuit concepta», evidens est ex contextu, ly *Beata Virgo* supponere pro facto sive carne, ante animationem; sic enim legitur ibi: «... *ante infusionem animae B. Virgo* sanctificari non potuit... *ideo B. Virgo* in peccato originali fuit concepta.»



hinc *posterioritate naturae*) tantum, infusio gratiae seu sanctificatione: nihil igitur mirum quod asserat Angelicus (3 p. q. 27 a. 2): «unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit *post animationem*» Pariter 6<sup>a</sup>, non de B. Virgine Maria, sed de anima Christi tantummodo, affirmari potest quod sic fuit sanctificata «in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret» (3. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. qu. 2. sol.) Sic enim dicendo, consideratur sanctificatio in sensu *composito* cum praecedenti jure ad sanctificationem: hoc autem in nullo praeterquam in Christo Adae semine haud naturali sed de Spiritu Sancto, haberi unquam potuit; nimirum: in his et similibus gratia, sanctificans conceptionem, consideratur (sit venia verbo) retroactivo quodammodo, sed ut correspondens ei, qui causam seu dignitatem habet ad eam sic accipiendam. 7<sup>a</sup> Hinc denique dicimus, non esse improbandum ex omni parte in S. Thoma hujusmodi locutionem (3 p. q. 27. a. 5. ad 2<sup>um</sup>): «B. Virgo *primo* in sua sanctificatione fuit *liberata a culpa originalis*; quamquam libentissime fateamur, vocem hanc «liberata» prima fronte valde improprium apparere, omnesque nunc fideles, etsi rudes, post Bullam *Ineffabilis*, solere et quidem propriissime sic profiteri fidem: B. Virgo in sua conceptione fuit *praeservata* a culpa originali. Itaque noletur: a) ipsam vocem *liberari* vulgo etiam sumi aliquando pro altera praeservari, quum praesertim annuntiamus aliquem exemplum fuisse ab eo quod incurrere debebat; et sic dicimus fratrem majorem *liberare* sive *salvare* minorem a *conscriptio*ne seu servitio militari, cui tamen nec fuit minor subactus. Ad rem vero nostram: b) hic agitur de culpa originali, quae ut supra adnotavimus, habet aliquid *formale*, nempe privationem gratiae sanctificantis, et aliquid *materiale* h. e. inordinationem virium animae, quae non sunt voluntas ipsa, videlicet concupiscentiam. Porro c) S. Thomas qui i. c. distinguit tres sanctificationes Virginis, primae hujus sanctificationi tribuit quidem quod excluderit

id quod est *formale* culpae originalis, quodque etiam Virgo Maria *debuisset incurrere*, non tamen tribuit, quod *materiale* quoque illius culpae *extinserit*, solummodo admittit quoad hoc quandam *ligationem* fomitis factam per illam primam Virginis sanctificationem, et transmittit veram illius extinctionem ad secundam ejus sanctificationem, seu quum ipsa concepit Dei Filium. Sic igitur d) S. Doctor, volens salvare (quod salvandum erat) Christo primatum in omnibus, ideoque et quod ipse *prior* carnem haberet absque fomite; non advertens ex alia parte (demus tanto Doctori qui bene scripsit de Christo Domino, *non advertisse* quod nostris temporibus rudes etiam fideles probe norunt, nempe *primatum* Christi omnino salvari, etiamsi B. Virgini Deiparae ipsa immunitas a fomite carnis concedatur vel ab ipsa sua conceptione, si nempe, ut est, teneatur id Mariam consequutam fuisse intuitu meritorum ejus Filii), quomodo aliter id salvaretur, si B. Virgo ante Christum carnis fomite prorsus caruerit, in opinionem dictam *ligationis* (de qua suo loco) fomitis proslivit; et inde potuit dicere Mariam Virginem in prima sanctificatione fuisse a fomite (culpa originali materiali) *liberatam* per id quod consequuta tunc fuerit, ut motus ejusdem non pateretur, quum nempe culpa originalis formalis exclusa fuerit ab ipsa, quamvis (iterum dicimus) non vi conceptionis (1). Tandem e) in contextu l. c. satis patet quare S. Thomas praetulerit vocem «liberata a culpa originali»; quia nimirum, agens ibi de trina perfectione gratiae in plenitudine quam habuit Virgo Maria, perfectionem illam exponit per duplicem rationem, scilicet aa) *liberationis a malo*, bb) *ordinationis ad bonum*; unde de prima sanctificatione hanc di-

(1) Secundum id facile etiam explicatur, quomodo Angelicus potuerit hoc quoque de B. Virgine declarare (3 p. q. 27. a. 2), quia non statim habuit usum liberi arbitrii, adhuc in ventre matris existens, hoc enim est *speciale* privilegium Christi: In re tunc non dogmatica, si ipse, ad Christi Jesu honorem Supremum magis magisque firmandum, non omnes Virgini Mariae honores et privilegia adjudicavit, quae nos, re eliquata per dogmaticam definitionem, eidem consentimus, non est cur nimirum praecocupari debeamus.



xit fuisse primam perfectionem, h. e. quod fuerit *liberata* a culpa originali.

*Exemplificatio*.—horum omnium, quae considerata duximus, accipi potest ex articulo 7.<sup>o</sup> Quolibeti 6.<sup>i</sup> Angelici ipsius Doctoris, qui quaerit: «utrum liceat celebrare conceptionem Dominae nostrae» et deinde ait «Videtur quod liceat celebrae conceptionem Dominae nostrae. Si enim non liceat, hoc non est nisi quia fuit concepta in originali peccato, ut videtur: quia Beata Virgo facta est ut speciali modo esset habitaculum Dei. Ergo debuit ad hoc specialiter praeparari. Non autem praeparata est specialiter secundum corpus, quod conceptum est ex sexu commixtione; nec etiam quantum ad animam, quia alii leguntur sanctificati in utero; et ita relinquitur quod fuerit specialiter praeparata per immunitatem ab originali peccato; et sic licet ejus conceptionem celebrare.—Sed contra est quod hoc privilegium solius Christi dicitur esse, quod sine originali peccato est conceptus. Non ergo competit Beatae Virgini; et ita ejus conceptio non est celebranda.—Respondeo dicendum, quod hic inducuntur duae quaestiones: una principalis, altera accessoria, scilicet an Virgo fuerit concepta cum originali; quod oportet primo determinari. Est ergo considerandum quod unusquisque peccatum originale contrahit ex hoc quod fuit in Adam secundum seminale rationem, ut Augustinus dicit *super Genesim ad litteram*. Omnes autem illi in Adam fuerunt secundum seminale rationem, qui non solum ab eo carnem acceperunt, sed etiam secundum naturalem modum originis ab eo sunt propagati. Sic autem processit ab Adam B. Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum, sicut et ceteri; et ideo concepta fuit in originali peccato, et includitur in universalitate illorum de quibus Apostolus dicit ad Rom. v. 12, *in quo omnes peccaverunt*; a qua universalitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminale rationem; alioquin si hoc alteri conveniret quam Christo, non indigeret Christi redemptione.

Et ideo non tantum debemus dare Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus, 1 ad Tim. IV.—Quamvis autem Beata Virgo in originali concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata, antequam nata. Et ideo circa celebrationem conceptionis ejus diversa consuetudo Ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimae aliae considerantes conceptionem Virginis in originali peccato frisse, festum conceptionis non celebrant. Aliqui vero considerantes sanctificationem ejus in utero, cujus tempus ignoratur, celebrant conceptionem; creditur enim quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad conceptionem, ratione conceptionis, sed potius ratione sanctificationis. Sic ergo non est ideo celebranda conceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali concepta. Non enim per hoc tollitur quin fuerit specialius caeteris praeparata eo quod in ipsa sanctificatione copiosius caeteris munus gratiae accepit; non solum ut purgaretur a peccato originali, sed ut tota ejus vita redderetur immunis ab omni peccato tam mortali quam veniali, ut dicit Anselmus».

*Exegeticae animadversiones*.—in hunc S. Thomae textum, sane non arbitrariae juvabunt ad clariorem rei intelligentiam. Et 1.<sup>o</sup> dabit quisque S. Thomam, uti paulo supra retulimus, probe novisse duplicem distinguere et nominari *notivitatem, in utero* nempe et *ex utero*, duplicem igitur conceptionem, *activam* et *passivam*, atque peccatum *proprie dictum* subjectari in anima *rationali* tantummodo, *virtualiter* vero seu *instrumentaliter* peccatum originale ipsi foetui, nondum hac anima praedito, convenire, qui tamen sit per naturalem generationis ordinem ab Adamo. Unde et statim fit plausibile quare et quomodo Angelicus non laudandam censuerit festivam celebrationem conceptionis B. V. Mariae. 2.<sup>o</sup> Insuper considerandum venit quod in suo «sed contra est.» S. Doctor non *illico* et *absolute* decer-



nit conceptionem Mariae in peccato factam fuisse—ideoque de eadem non est agendum festum—, sed tantum ex comparatione instituta cum conceptione Christi. Porro notum est ex demonstratis in superioribus (n. 161), non solummodo hanc Christi conceptionem divinam considerari a S. Thoma, sed etiam declarari una simul factam cum animatione; dum, omnibus cum scholasticis, et ipse ponit in ceteris omnibus, nec Virgine excepta, simul non haberi conceptionem et animationem; ex quibus derivat, conceptionem omnino in peccato fieri, quoad omnes qui naturaliter ab Adamo descendunt via ordinaria generationis. Hac igitur supposita, imo et expresse facta, comparatione et distinctione pronum erat inferre ex omnibus *solum* Christi Domini conceptionem sanctam fuisse, ideoque et celebrandam. 3.º Praeterea notetur specialis ratio respondendi: «hic inducuntur, ait, *duae quaestiones*, una principalis (de festo conceptionis) altera accessoria, scil. an B. V. fuerit concepta cum originali, quod oportet primo determinari.» Reapse autem determinatio haec inde solum (et de more) ab Angelico constituitur, quia a) B. Virgo est ab Adamo «per commixtionem sexuum, et ideo concepta fuit in originali peccato», quod bene intelligi potest, vel in ore S. Thomae, de pura conceptione activa; b) quia et B. V. indiguit redemptione Christi, quae, uti patet et credimus, quoad Beatam Virginem id operata est quod, cum debuisset contrahere originis maculam, ab hac contrahenda praeservata (non proprie diceretur immunis) fuit, intuitu seu vi meritorum futuri Redemptoris. 4.º Intimus autem est perpendendum quoad declarationem Angelici de B. Virgine «quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata», a) illud «post» naturae, et non temporis, vel in ejus ore accipi posse; ipsum autem b) concedere saltem tacite, celebrandam ipsam B. V. conceptionem, cum advertentia tamen, quod «illa celebritas non est referenda ad conceptionem ratione conceptionis, sed potius ratione sanctificationis.» Tandem 5.º liceat advertere quod, dum Angelicus sollicitus est de

defendenda speciali B. Virginis praeparatione, quam reponit in «eo quod in ipsa sanctificatione copiosius ceteris munus gratiae accepit, non solum ut purgaretur a peccato originali, sed ut tota ejus vita redderetur immunis ab omni peccato», si absolute per haec excludenda esset in mente S. Thomae exemptio B. Virginis a macula originalis quomodo in tuto posita fuisset dicta specialis animae praeparatio? An per hoc solum quod «in ipsa sanctificatione copiosius ceteris munus gratiae accepit?» Ast, effatum est ipsiusmet S. Doctoris, quod «magis et minus speciem rei non mutat.» Supra vero satis indicavimus (n. 342), quomodo intelligendum illud quod hic denuo affirmatur, de Maria quae purgata fuerit a peccato originali (1).

*Ultimum verbum.*—Curiose inquires: quare Angelicus tot atque talia dixerit, quae videntur contradicere veritati, quam ejus angelica mens fallere non debuit, quamque alii plerique obtinuerunt, et vix unius rei sollicitus fuerit, ni-

(1) Fatemur libenter, quam exegimus, S. Thomae apologiam vix, aut ne vix quidem ardire Theologis nonnullis cordatisque Angelici commentatoribus, quamvis placeat aliis, inter quos denuo citamus superi. Ch. Stamm. l. c. pag. 37 seqq., P. Palmieri tract. De Deo Creatore et elev., etc. Ipse doctissimus P. Billot ab eadem non multum abudere videtur, quam monet S. Doctoris doctrinam id tantum constabile, nempe B. Virginem non fuisse in sua origine immunem a peccato vi conceptionis. «Cum S. Thomas in praesenti quaest. 27. a. 2 ad 2m dicit, quod si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, haec derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator, re ipsa offert rationem quae probat, Virginem non fuisse in sua origine immunem ab originali peccato. At vero praeter immunitatem vi conceptionis, est et exemptio ab originali peccato. Et hanc exemptionem, quae atque supponit debitum contrahendi peccatum, non derogare quomodo libet redemptioni Christi, imo vero commendare, quam maxime ejus efficaciam, ipsemet Cajetanus agnovit dicens: «Si tenetur Beatam Virginem, non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima, in ipso instanti infusionis animae praeservatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi gratia affluisset, nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi et salvandi a peccato originali, Christo attribuitur, respectu suae matris. Sic enim ipsa Beata Virgo indiguit redimi et salvari a peccato per Christum... Et ita puritas ejus fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit redimi, quia ex vi suae conceptionis fuit sancta. Et hoc ipsum est quod nunc fide tenemus yfidentes Mariam sublimiori modo redemptam, ita ut ipsa extra numerum aliorum posita, fungi potuerit respectu caeterorum munere corepatricis. (In q. 27-30, th. 39 § 2.)



mirum, ut omnimode salvaretur veritas de *universalitate redemptionis Christi!* Et videtur haec posse assignari causa, quia nempe dubium relinquere de universalitate redemptionis non fuisset sine detrimento veritatis, quae jam erat tunc verum fidei dogma; non declarare autem evidentiis testimoniiis veritatem conceptionis immaculatae B. V. dum proprie non officiebat defensionem veritatis nedium inter dogmata recensitae, bene quidem juvare poterat ad clariorem dogmatis intelligentiam de redemptione christiana. Sancto igitur Thomae, si ita benedixit Christus «bene scripsisti de me, Thoma», quare divinam miscere Matrem audebimus, talia declarantem: «sed male omnino de me scripsisti?»

## II.

El P. Fray Tomás Elías, Carmelita descalzo, dice en la página 64 de su libro «Homenaje á Santo Tomás de Aquino»: Toda obra grande lleva consigo necesariamente la prueba del combate y la contradicción del mundo. Apenas Santo Tomás hubo descendido al sepulcro cuando la envidia intentó empañar con su hálito ponzoñoso el brillo de su nombre y de su doctrina. Mas la Europa presenció entonces, con este motivo, un espectáculo sublime. Vióse á un anciano de cabeza encanecida llamar á las puertas de la Universidad de París, la primera entonces del mundo, convocar á sus profesores y estudiantes, y desafiar á los detractores de Tomás, cuya causa se ofrecía á sostener. Ese anciano, en cuya presencia enmudecen los detractores de Tomás, era Alberto Magno que á la edad de 80 años había salido de la antigua ciudad de Agripina para defender el nombre y la doctrina de su antiguo discípulo. En nuestros tiempos han querido igualmente, los enemigos del Ángel de las Escuelas, rebuscando defectos que imputarle, calumniarle, afirmando *ex tripode* que nuestro Santo no sólo no defendió la Purísima Concepción de María

Santisima, sino que sostuvo una doctrina contraria al dogma definido por el inmortal Pontífice Pío IX. Si lo permitiera la indole de este trabajo probaríamos cómo ésta es una falsa y diabólica imputación, y cómo el Angélico sostiene el misterio, hoy incontrovertible, por ser dogma de fe. No se necesita más que leer el art. 3.º dist. 41, al Maestro de las sentencias, citado por S. Pío V y todos los tratadistas más respetables, y que se lee en todas las ediciones más antiguas y corregidas; la lección 6.ª, cap. 3.º, á los galatas, según las cuatro ediciones de París, y se verá cómo defiende la Purísima Concepción de María de un modo indubitable. Dice textualmente el primero: «La pureza se concibe por la ausencia de su contrario. La mayor pureza posible en la criatura es la que no ha sido manchada con ningún pecado, y tal es la pureza de la Bienaventurada Virgen, que fué exenta de pecado original y actual.» El segundo: «Se exceptúa la Purísima y digna de toda alabanza Virgen María, que fué inmune de pecado *original* y actual.» En el comentario á la salutación angélica, dice: «La Bienaventurada Virgen María no incurrió ni en pecado *original* ni actual.» (Véase para confirmación de esto y para saber cómo hanse de interpretar las palabras de la *Summa*, el opúsculo del P. Perrone, «De immaculato B. V. Mariae conceptu.» y los dos artículos sobre Santo Tomás, del Ilmo. Sr. D. Manuel de Jesús Rodríguez, insertos en la revista *La Cruz*.)

En una de sus Conferencias de Nuestra Señora de París—Cuaresma de 1877—en la página 250 escribe el P. Santiago María Luis Monsabré ¿Enseñó Santo Tomás una doctrina contraria á la Inmaculada Concepción?

«Es cierto, dice Mgr. Malou, que en la controversia relativa al privilegio de la Inmaculada Concepción, los campeones de las dos opiniones contrarias invocaban la autoridad de la Escuela.

El gran Doctor vacila: en su comentario sobre el primer libro de las Sentencias, admite en términos formales el



privilegio de la Santísima Virgen... pero el conjunto de sus doctrinas conduce á la negación del privilegio, y los pasajes que niegan la Inmaculada Concepción son posteriores á los que la afirman.»

